

Gramen 8 est *Festuca rubra*.

Carex 11 est *Carex acuta*, polymorpha planta.

Carex 14 » *Carex globularis*.

Carex 13 » *Carex caespitosa*.

Androsace Tua est Androsace maxima, cujus calyces dein excrescunt et maximi evadunt.

Lichenem Tuum determinare nequeo. medius est inter Lichenem saxatilem et Lich. centrifugum, a priore videtur diversus foliis planis, nec lacunosis, a centrifugo colore viridi et loco in arboribus, qui niveus et saxatilis apud nos est.

Claytoniae sibiricae semina iterum mitto, seras ea in terra, cui immixtum est aliquid sabuli calcarei e muris desumpti.

Semina egregia misisti, utinam germinarent, imprimis Cacaliam et Cherleriam et Arctium personatum optarem.

Quam praeterito anno miseras Sem. Hibisci clypeati, erant Hibisci esculenti.

Ex seminibus Tuis prioris anni nunc floret *Ranunculus lanuginosus*, quem speraveram fore Anemonem narcissifloram.

Menais habet ramos teretes, subvillosos. Folia alterna, ovata, integerrima, aspera. Frutex in America inservit pro humilibus sepibus, uti apud nos Ligustrum.

Valerianae elongatae Tuae folia caulina an trifida?

Heracleum angustifolium an illud Rivini? quod apud nos frequens et vulgaris varietas.

Accepi nuper pulchras plantas ex America septemtrionali.

Mitto aliquot semina, cum rariora non habeamus, talia qualia possideo.

Ego a Te prae reliquis opto Drypin et Cherleriam, hujus semina jam misisti, Drypin antea, sed non germinabant.

In proximis dicas mihi quaenam plantae habeantur in